

## Nr. 1

1448, Dezember 16. Olmütz

Bischof Paul von Olmütz führt aufgrund der inserierten Supplik des Priesters Georg von Littau und des Littauer Stadtrates die Dimmembration der Littauer Stadtpfarrkirche von der Mutterpfarrkirche in Meedl durch und erhebt sie zu einer selbstständigen Mutterpfarrkirche. Er bestätigt die kurz regestierten Urkunden über die neue Dotierung der Littauer Stadtpfarrkirche und inseriert die Konsensurkunden des Meedler Pfarrers Albert vom 17. August 1448 sowie der Patronatsinhaberinnen der Meedler Mutterpfarrkirche, der Äbtissin und des Konventes des Zisterzienserinnenklosters in Alt Brünn, vom 6. August 1448.

Original nicht überliefert. — Eine zeitnahe, an mehreren Stellen fehlerhafte Abschrift befindet sich in einem wohl erst im 19. Jahrhundert zusammengebundenen Kodex, der Urkundenabschriften aus dem 15. – 17. Jahrhundert mit Urkundenmaterial des Bistums und Domkapitels zu Olmütz aus dem 13. – 16. Jahrhundert beinhaltet, in MZA Brno, Bestand G 10 – Sbírka rukopisů, Sign. 734, fol. 18r–20r (B). — Die inserierte Konsensurkunde des Pfarrers Albert von Meedl vom 17. August 1448 ist im Original in SOkA Olomouc, Bestand AM Litovel, Urkunde Nr. 28, überliefert (A1); die Konsensurkunde Urkunde der Äbtissin und des Konventes von Alt Brünn vom 6. August 1448 ist im Original ebenda, Urkunde Nr. 27, aufbewahrt (A2).

Die Edition des gesamten Urkundentextes folgt B nach, wobei aber alle Abweichungen in A1 und A2 im Apparat verzeichnet sind. In jenen Passagen von B, wo der Vergleich mit der Ausfertigung nicht möglich war, sind die eindeutigen Grammatikfehler sowie die misverstandenen oder fehlenden Wörter durch Emmendationen des Autors im Apparat ausgebessert.

In nomine sancte et individue trinitatis feliciter amen. Paulus, Dei et apostolice sedis gracia episcopus Olomucensis, ad perpetuam rei memoriam. Ex superni dispensacione consilii in pastoralis partem sollicitudinis evocati circa universorum, quorum nobis desuper commissa cura est fidelium, profectus et commoda, sicuti ex debito pastoralis nobis incumbit officii, studiis intendimus assiduis eorumque statum, prout negotiorum exposunt circumstancie, in melius dirigere satagimus, votis illis graciosum acclinantes auditum, per que frequencioris ardore devocationis complectitur altissimus ac salutis eorundem propagacio amputatis distractionum obstaculis liberius suscipiat incrementum. Sane pro parte discreti domini Georgii de Lutouia, nostri Olomucensis diocesis presbyteri, altariste altaris sancti pontificis Wolffgangi in ecclesia parochiali sancti Iacobi in Brunna dicte nostre diocesis, ac sagacium iudicis et scabinorum tocusque communitatis Lutoviensis devotorum dilectorum per circumspectum virum magistrum Dauid, procuratorem consistorii curie nostre episcopalnis Olomucensis causarum generalem ac ipsorum ad subscripta legitimum negotiorum gestorem, de cuius procuracionis sufficienter ad infrascripta mandato apud acta dicti consistorii curie nostre ad plenum constabat, et eorum nominibus ac vice certas patentes litteras in pargameno

scriptas, unam alias maiorem videlicet fundacionis et dotacionis nove pro ecclesia sancti Marci Ewangeliste in dictam<sup>1</sup> Lutouie nostre diocesis, olim filiale<sup>2</sup> ecclesie Medlensis, sed iam ab eadem dimembranda, sigilis duobus, uno minori de cera nigra et alio maiori de cera alba communi temperata, cere communi simplici impressis, in quorum primi nigri medio ymago leonis quasi gradientis pede sinistro anteposito, circum caput diadema et circa scapulas alas habentis extensas, cauda inter pedes posteriores reflexa et in ipsius circumferenciis textus „S(igillum) Georgii de Lutouia“ quasi rosulis intermixtus; in alterius vero albi medio clipeus, in cuius clipei parte dextra effigies quasi carponis et in sinistra sicut lucei cum litteris istis in margine, scilicet „advocati et civium de Lutowia“, sculpta cernebant<sup>3</sup>; item alias sex litteras minores super decem marcis grossorum census annui per ipsum dominum Georgium, ut asserebatur, pro dicta ecclesia sancti Marci in Lutouia dispositis, primam super duabus marcis de molendino Puschmu<sup>el</sup> et molendino inter opidi Lutowiensis sepedicti muros, alteram super tribus marcis grossorum de molendino Knausmu<sup>el</sup> in preurbio Lutowiensi, terciam super una marca de molendino dicti preurbii circa pontem, per medium in Michaelis et Georgii sanctorum festis persolvendis, quartam super una marca de domo aciali Pauli Slach, inter domos Guldewanko et Rümpler sita, et de uno quartali agrorum in Schwartzpach, quintam super una marca de domo Johannis Kokot inter Michkonis rotificis et Cunczonis domos et super maccello singulis videlicet quatuor temporibus per unum fertonem danda, sextam illarum litterarum super marcis duabus de domo Matusskonis in circulo Lutowiensi, inter Georgii carnificis et Iohannis Vlklik domos sitam, ac orto Nowosad in acie divisim persolvendis, singulis videlicet quatuor temporibus marcum medium; necnon et septimam litteram magnam super septem marcis census, que per memoratos cives et incolas Lutowienses dicebantur deputate, primum videlicet in villa Chorzelicz super tribus laneis, puta laneo Hornyk, laneo Holubowa et laneo Martin Jarossii laicorum, quolibet ipsorum decem et octo grossos pro termino s(ancti) Georgii et totidem beati Wentzeslai, item in villa Weska de ortis Brtnarz viginti sex grossos, Pecha piscatoris tredecim grossos, Iacob tredecim grossos, Ian Rataguow XIII grossos, Wach Krotzel XIII grossos, Braw pastorum tredecim grossos pro termino sancti Wentzeslai dumtaxat, ibidem eciam de curia hospitalis una sexagena<sup>4</sup> in Georgii et totidem in Wentzeslai sanctorum festis, item de pretorio Lutowiensis opidi duas marcas, quoisque ad alia bona census ille duarum marcarum non fuerit traductus, per medium in Georgii, per medium in Wentzeslai sanctorum festivitatibus persolvendis,

---

<sup>1</sup> recte: *in dicta civitate*

<sup>2</sup> recte: *filiali seu filia*

<sup>3</sup> recte: *cernebantur*

<sup>4</sup> recte: *unam sexagenam*

necnon et super vasatura cervisie puta unius urne de qualibet braxatura braxive pociorum<sup>5</sup> tam ab hominibus Bohemici tamquam Theotunici ydeomatum incolis ibidem braxantibus danda<sup>6</sup>, qualibet iam descriptarum septem litterarum sigillo unico, videlicet ipsorum advocati et civium Lutowiensium, de cera alba communi temperata cere albe simplici impressa et superius descripto; insuper et alias consensuum super dimembratione ecclesie s(ancti) Marci Ewangeliste in Lutowia memorate, unam videlicet venerabilis domine Elene abbatisse tociusque conventus Aule S(ancte) Marie in Antiqua Brunna, ad quos iuspatronatus et presentandi Medlensis ecclesie, cui ecclesie<sup>7</sup> s(ancti) Marci memorata filiacione hactenus suberat, dinoscitur pertinere, similiter sigillis duobus, primo in ordine maiori oblongo de cera viridi et alio minori rotundo de cera nigra cera alba communi custoditis, in quorum primo cimboria per totam eius longitudinem extensa et tricamerata, intra quorum partem superiorem ymago virginis gloriose sedentis et puerum in dextera baiulantis et intra partem medium arcuatam, aliis ampliorem figura abbatisse vel sanctimonialis stantis et baculum pastoralem in sinistra habentis, sed intra partem inferiorem effigies regine flectentis et structuram templi quasi offerendo gestantis ac in circumferenciis a sinistra et dextera partibus suis textus in hunc modum „Sigillum Elene abbatisse Aule Beate Marie in Antiqua Brunna“ punctis distinctus; in alterius vero nigri medio ymago Virginis Marie sedentis et puerum in sinu tenentis sub cimboriis parvis in parte superiori sigilli et super pulvinari in parte inferiori, sub quibus cimboriis quasi a falangula seu a partica velum dependens litteris textualibus et floribus quasi artificio picture variatum, in extremitatibus sinistre et dextre parcium textuales litteras habentes<sup>8</sup>, scilicet „Conventus monasterii Aule Sancte Marie“, sculpta apparebant; aliam vero discreti domini Alberti, in Medla protunc plebani, per quam<sup>9</sup> et antecessores suos dicta sancti Marci ecclesia veluti filia Medlensis sue ecclesie subiecta regi conswevit et legittime gubernari, signeto unico parvo octo angulos habenti de cera nigra cere communi impressa, in quo figura lilii, supra quam due stellule sine textu aliquo sculpta cernebantur, in presculis targameni dependentibus sigillatas, salvas, sanas, integras, non viciatas, non cancellatas, non abrasas nec abolitas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes nobis oblatas lateque narratam fati seriem recepimus, hiis insuper, que per oblivionem asserebantur in litteris ommissa, notantur verbotenus adiectus<sup>10</sup>, |<sup>11</sup> quod quatuor

---

<sup>5</sup> pocorum se vzz nad co; viz k tomu níže, kde ... nec non unam urnam non simpliciorum sed pociorum cervisie sive braxive...

<sup>6</sup> recte: *dande*

<sup>7</sup> recte: *ecclesia*

<sup>8</sup> recte: *habens*

<sup>9</sup> recte: *quem*

<sup>10</sup> recte: *adiectis*

marce in aniversariis, de quibus in sepedita fundacionis littera mencio, distribuende sint de numero illarum decem marcarum per dominum Georgium, ut premittitur, dispositorum<sup>12</sup>, quodque de distribuendis in aniversariis quibus ibidem<sup>13</sup> pecuniis pro rectore scole grossi quatuor et pro campanatore grossi tres cedere debeant et assignari, cum petizione post longam rei, ut premittitur, narrationem, in dicta fundacionis et dotacionis nove littere<sup>14</sup> plene contentam, cuiusquidem prime littere puta fundacionis et erectionis nove tenor erat per omnia talis:

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Paulo, divina providencia episcopo Olomucensi, domino et patri nostro gracioso, Georgius de Lutowia presbyter, altarista altaris s(ancti) Wolfgangi in ecclesia s(ancti) Iacobi in Brunna, et magister civium, consules et tota communitas in Lutowia oraciones devotas et cum debita reverencia paratam famulandi voluntatem. Quia omnium bonorum largitor Deus homini mortali iuxta sue gracie affluenciam providit de terrenarum aminicula facultatum, ut in hac peregrinacionis semita salubrius gradiens et sibi obstantibus refellere et compendiosius ad veram beatitudinem, quo sancta dicit intencio, valeat provenire, hinc est, quod nobis Georgio et magistri<sup>15</sup> civium totique communitati opidi in Luthowia supra nominati, pensantibus rite et rationabiliter singulos actus salutares, qui ad laudem Dei veneracionemque sanctorum ipsius pro expinacione scelerum et redempcione geruntur animarum, occurrit plus respectuum et salutare ob divini cultus augmentum aliquod beneficium ecclesiasticum dotandum et fundandum et presertim de bonis temporalibus nobis a Deo collatis, ut in districti iudicis examine levior sit de eis racio reddenda, et pro terrenis eterna valeamus mercari. Verum cum in dicto nostro opido Luthowie a longissimis retroactis temporibus ecclesia parochialis sit fundata, dotata et sub titulo sancti Marci Ewangeliste dedicata et consecrata, quia tamen minus dotis pro sui<sup>16</sup> sustentacione habuerit, iugo filiationis ecclesie sanctorum Petri et Pauli apostolorum in Medla tanquam ecclesie matrici, sue matri, fuerit subiecta, propter quem defectum sustentacionis specialem seu proprium non poterat habere plebanum, sed per plebanum ecclesie matricis gubernabatur et regebatur temporis paccatis, et ubi pluralitas presbyterorum poterat haberi. Nunc autem – proch dolor – in clerum persecuzione tirannica quasi per totum marchionatum Moravie a pluribus annis deseviente et dietim vergente in deterius clerus multum fuit diminutus et est, ob quod ex sacerdotum et cleri defectu manifeste cultum divinum in eodem tepescere constitit et

---

<sup>11</sup> fol. 18v

<sup>12</sup> recte: *dispositorum*

<sup>13</sup> recte: *quibuslibet*

<sup>14</sup> recte: *nova littera*

<sup>15</sup> recte: *magistro*

<sup>16</sup> recte: *sua*

immorari. Nos igitur et magister civium, consules et tota communitas opidi Luthowie sepedicti viam aperciorem comodosioremque, prout nobis apparebat, aggredi volentes et iuxta posse nostrum premissis subvenire deliberandum statuimus, quapropter ad ipsos, quorum intererat, iuxta iurisperitorum consilia preces exposuimus instantivas et mediante discretorum virorum super dimmembracione ecclesie s(ancti) Marci et matrice sua<sup>17</sup>, videlicet ecclesie in Medla, deprecationem, postulacionem et exigenciam porrexiimus et obtinuimus que gracie et favorose nostrum intentum, prout littere desuper confecte lucidius declarare videntur. Sed ne eandem ecclesiam sancti Marci a sua matre dimembratam aut ministrum eius presentem aut futurum egere contingat, eidem ecclesie parrochie nostre sancti Marci Ewangeliste iam memorate, ubi viva hostia, Christus Deus et homo tali substancia propria cottidie pro salute fidelium vivorum et defunctorum, prout ad dexteram Patris in celestibus assistet, ymolatur, pro dote ipsius ecclesie seu eius ministro et rectore vel plebano nostro presenti et futuro et pro ipsius congrua sustentacione decem et septem marcas grossorum annum cersum<sup>18</sup> et perpetuum, decem videlicet ex mei Georgii, alias autem septem marcas ex nostri magistri civium, consulum et iuratorum ac tocius communitatis Luthowiensis disposicione, nec non unam urnam non simpliciorum sed pociorum cervisie sive braxive et hoc de qualibet braxatura ab omnibus et singulis nostris et nostri opidi incolis videlicet Bohemis et Theotunicis et braxatoriis omnibus et futuris, illo iure et consuetudine, qua antiquitus a solis Bohemis dabatur, non obstante, similiter perpetuis temporibus, prout in privilegiis desuper confectis lacius est expressum, que pro vitanda prolixitate hic inseri ommittimus, dedimus, damus, donamus, deputavimus, deputamus et assignamus tollendas, utifruendas, percipiendas per plebanum presentem et ipsius successores, futuros plebanos ecclesie sepe tacte, talibus sub condicionibus, quod plebanus sive dicte ecclesie rector circa ecclesiam premissam residenciam habeat corporalem, nisi cum eo legitime certis ex rationibus foret dispensatum. Item quod plebanus presens et ipsius successores debebunt et debent singulis quatuor temporibus sextis feriis decantare vigilias novem lectionum cum laudibus et ad easdem vigilias decantandas vitricus ecclesie exponat omnes candelas incensas de czecha dominorum civium. Quibus vigiliis intererit plebanus cum suis capellanis omnibus et altaristis eciam vocato ad hoc crucifero de preurbio dicte civitatis, qui quidem sacerdotes in premissis vigiliis cum scolaribus alternatim cantando ipsos complebunt psalmos et antiphonas, sacerdotes vero lectiones legant, clerici responsoria cantent et duo sacerdotes singulos versus novem responsiorum. Laudibus peractis exequias cum solemnitate tenebuntur adimplere

<sup>17</sup> recte: *et matricis sue seu a matrici sua*

<sup>18</sup> recte: *censum*

concludendo cum salve regina et infra solemnia vigiliarum campanator tres pulsus solemnes faciat cum omnibus campanis more et consuetudine exequiarum et aniversariorum. Item vitricus ecclesie debet et habebit exigere, tollere et recipere censum quatuor marcarum census anni proscriptum in et super domibus et hereditatibus discretorum virorum Pauli dicti Schlach, Matusskonis et Iohannis carnificis dicti Kokot iuxta tenorem litterarum super hiis confectarum, quas quidem quatuor marcas singulis annis in quatuortemporibus distribuet iuxta modum et formam infra descriptam: in primis cuilibet altariste et crucifero unum grossum; si quis vero ex altaristis aut crucifer non interfuerit vigiliis, extunc grossus, qui sibi debebatur, distribuatur inter pauperes scolares; item plebano quinque grossos cum suis capellanis. In crastino plebanus dicte <sup>19</sup> ecclesie sancti Marci celebrabit missam defunctorum per se, quam scolares cantabunt, continuando eandem totaliter usque ad requiescant in pace. Item predictor Theotunicorum faciet exhortacionem pro omnibus benefactoribus exprimendo singulos ex nomine. Infra vero ipsam missam omnes capellani et altariste cum ipso crucifero legant missas defunctorum tres, continuando altera et tercia die, quibus ipse vitricus dabit per tres grossos. Plebanus vero cum suis capellanis suppleat alias quindecim missas, sive quotcumque resultabunt, pro quibus singulis vitricus dabit ipsi plebano et suis capelanis per unum grossum. Item unus grossus distribuatur inter pauperes scolares. Item plebano sedecim grossos pro officio. Que omnia et singula durabunt et durare debent perpetuis temporibus. Item plebanus pro nunc aut in futuro existens erit astrictus ad duos vicarios tenendos, qui deserviant dicte ecclesie sancti Marci Ewangeliste. Si vero ipse plebanus presens aut futurus duos vicarios sine dolo et fraude habere non possit et super eo exorta inter plebanum et parrochianos fuerit disceptacio, per reverendissimum in Christo patrem et dominum loci ordinarium aut ipsius vicarium in spiritualibus et officiale volumus de simplici et plebano sine strepitu et figuram<sup>20</sup> iudicii fore declarandum et eidem declaracioni partes debent parere. Et quicquid inter partes utrasque fuerit declaratum, habent stare contenti. Nec nos parrochiani ratione tali aut quavis alia ei plebano proventus suos auctoritate propria possumus aut debemus arestare. Item si contingat dyabolo sugerente aut aliquo alio sinistro infortunio ipsum censem videlicet decem et septem marcarum in aliqua sui parte vel in toto diminui aut, quod deus avertat, deperire, extunc ipse rector sive plebanus presens et futurus ad onera superius et inferius descripta adimplenda non sint astricti, sed tamen iuxta suum posse providebit, quod populus parrochiani in administracione sacramentorum non sint neglecti. Item plebanus sive rector ecclesie sepedicte singulis diebus missam mane de Beata Virgine

---

<sup>19</sup> fol. 19r

<sup>20</sup> recte: *figura*

cum summa missa et omni die vesperas diei occurretis<sup>21</sup> decantare tenebitur et tenebit. Item rector, qui pro tempore fuerit, debet esse sufficiens ad cantandam singulis diebus missam Beate Virginis Marie et succendor summam missam cum vesperis et iuvenes sive scolares in scolis informare. Ad que omnia et singula ipse succendor erit benivolus et obediens ipsi plebano; plebanus vero, qui nunc est aut in futurum erit, succentori dabit expensas in tabula sua, aut cum cappellanis suis resideat in prandio et in cena. Si autem contingat succentorem esse tardum aut ignarum vel insufficientem ad premissa, extunc ipse plebanus debet hoc deferre ad illum vel ad alios, quibus interest vel intererit, ut provideant de satis idoneo et habili et sufficienti ad premissa. Cum vero contingat partes, scilicet plebanum aut provisorem aut succentorem in pretactis disceptare sive discordare, hoc tenebuntur ad dominum diocesanum aut suum vicarium in spiritualibus et officiale deferre, qui auditis partibus compositione amicabili, ut superius preexprimitur, concordabit, cui partes prescripte in hoc erunt et debent esse obedientes. Item plebanus erit et debet esse obligatus singulis diebus et perpetuis temporibus dare prebendam de sua mensa mane et vespere et cum prebenda unam mensuram cervisie ad scolas hiis, qui decantant missam de domina cum vesperis. Item quocumque die contingit funus in ecclesia, omittere missam de domina, loco cuius cantabitur missa defunctorum. Ius vero patronatus et collacio eiusdem ecclesie quociens et quovismodo eandem contigerit vacare taliter ordinatum est, ut magister civium et iurati dicti opidi Luthowie, qui pro tempore fuerint, eandem vacanciam ad venerabilem virginem dominam abbatissam Claustrum Regine in Antiqua Brunna reverenter deferre debebunt, et quem ipsa abbatissa nominaverit, eundem et nullum alium dicti cives reverendissimo in Christo patri episcopo Olomucensi aut eius vicario in spiritualibus ad ipsam ecclesiam instituendam presentare debebunt et tenebuntur. Igitur reverendissime in Christo pater et domine domine gracie! Cum ea, qua decet, reverencia supplicamus, quatenus nostram hanc puram, nudam ac simplicem voluntatem et dispositionem favore benigno prosequendo supradictam ecclesiam Luthowiensem sancti Marci ab ecclesia Medlensi matrice eius de consensu omnium et singulorum, quorum interest, accedete<sup>22</sup> dimembrare, sicque, ut prefertur, iugo filiationis exutam<sup>23</sup> iam privilegiis et libertatibus matris perpetue facere gaudere ac ipsam in ecclesiam matricem de novo erigere eiusque, ut premittitur, dotacionem, fundacionem et limitacionem in singulis clausulis, punctis, articulis condependentibus et connexis ratificare, confirmare et auctorisare dictumque censum decem et septem marcarum eidem pro dote assignare,

---

<sup>21</sup> recte: *occurrentis*

<sup>22</sup> recte: *accedente*

<sup>23</sup> recte: *exuta*

emolumentis, utilitatibus et obvencionibus universis eidem ecclesie in Luthowia prius et ab antiqua consuetudine condonatis et appropriatis semper salvis, sic, ut ecclesiastice subiaceat libertati, incorporare et invicerare graciosius ex pastorali officio dignetur<sup>24</sup>, graciā nobis in eo facientes specialem. Verum, reverendissime pater, benefactores beneficiorum et fundatores eorum preferendi sunt aliis prerogativa speciali, eidem vestre Reverencie paternitati attencius preces porrigitur, dignemini ipsum dominum Georgium nostrum omnium de consensu ad prefatam ecclesiam confirmare et investire sibique tradere curam animarum et regimen in spiritualibus et temporalibus iuxta vestre reverendissime paternitatis officium pastorale. In cuius rei fidem et testimonium ac perpetuum robur et firmitatem sigilla nostra presentibus sunt appensa de nostra omnium certa sciencia, voluntate et mandato. Datum et actum Luthowie die tredecima mensis Septembris anno Domini M<sup>O</sup> quadragesimo octavo<sup>25</sup>.

Tenores vero aliarum literarum septem puta sex minorum super decem marcas census sub condicione et clausula rempcionis et septime magne super septem marcas ac vasatura cervisie, quarum intencio superius descripta est, propter earum prolixitatem hic inseri omissi sunt.

Tenor itaque consensus littere prime sequitur in hunc modum: Reverendissimo in Christo patri et domino domino Paulo, Dei et apostolice sedis gracia episcopo Olomucensi nobis graciōso, Helena miseracione<sup>26</sup> divina abbatissa, Kachna<sup>27</sup> priorissa, Katherina<sup>28</sup> priorissa<sup>29</sup> totusque conventus Aule Regie<sup>30</sup> prope Brunnam cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis oraciones humiles pariter pariter<sup>31</sup> et devotas. Ad vestre reverendissime paternitatis noticiam didicimus<sup>32</sup> per presentes, quod cum pridem |<sup>33</sup> parte<sup>34</sup> providorum virorum magistri civium et consulum, iuratorum necnon universitatis parochianorum ecclesie parochialis sancti Marci Ewangeliste in Luthowia<sup>35</sup>, que actenus<sup>36</sup> veluti filia matri ecclesie in Medlaw coniuncta per plebanum dicte in Medlaw ecclesie gubernari consuevit<sup>37</sup>, nobis tanquam<sup>38</sup> veris et legitimis

---

<sup>24</sup> recte: *dignemini*

<sup>25</sup> recte: *quadragesimo octavo*

<sup>26</sup> A1: *permissione*

<sup>27</sup> A1: *Echna*

<sup>28</sup> A1: *Katerina*

<sup>29</sup> A1: *supriorissa*

<sup>30</sup> A1: *regine*

<sup>31</sup> A1 deest

<sup>32</sup> A1: *deducimus*

<sup>33</sup> Fol. 19v.

<sup>34</sup> A1: *pro parte*

<sup>35</sup> A1: *Luthouia*

<sup>36</sup> A1: *hactenus*

<sup>37</sup> A1: *consuevit*

<sup>38</sup> A1: *tamquam*

patronis, et ad quos<sup>39</sup> iuspatronatus eiusdem ecclesie in Medlaw racione dicti nostri monasterii legittime noscitur pertinere, fuisset cum instancia non modica supplicatum, quatenus ad dimembracionem<sup>40</sup> dictarum ecclesiarum, et ut prefata sancti Marci in Luthowia<sup>41</sup> ecclesia, cui ut iidem proposuere sufficienter ad hoc providissent, proprio amplius gaudeat plebano, consentire dignaremur gracie. Nos itaque abbatissa et convetus predicti predictorum parrochianorum necnon et aliorum intercedencium petpcionibus inclinati ad dimembracionem<sup>42</sup> et divisionem dictarum ecclesiarum modo premisso duximus favorabiliter annendum et consciendum et presentibus consentimus, itaque<sup>43</sup> videlicet, quocienscumque<sup>44</sup> et quovismodo dictam ecclesiam in Luthowia<sup>45</sup> vacare<sup>46</sup> contigerit, magister civium et iurati dicte civitatis Luthowiensis,<sup>47</sup> qui pro tempore fuerint, id ad nos seu abbatissam pro tempore monasterii nostri reverenter deferre debebunt, et quem tunc ipsa abbatissa nominaverit, eundem et non alium dicti cives reverendo in Christo patri episcopo Olomucensi aut eius vicario ad ipsam ecclesiam instituendum presentare debebunt et tenebuntur primevo denique iurepatronatus ad ipsam ecclesiam matricem supradictam in sua firmitate nobis salvo permanente. Datum nostro in monasterio predicto anno Domini millesimo quadringentesimo octavo<sup>48</sup> die sancti Sixti, que fuit sexta dies Augusti, sigillis nostris videlicet abbatisse et conventus predictorum presentibus in fidem premissorum subappensis.

Et tenore<sup>49</sup> alterius littere consensus sequitur in hec verba: Reverendissimo in Christo patri et domino domino Paulo, Dei et apostolice sedis gracia episcopo Olomucensi, domino suo gracio, Albertus, plebanus ecclesie parochialis in Medlaw Olomucensis dyocesis, oraciones humilimas in Christo devotas! Cum debita reverencia ad vestre reverendissime paternitatis noticiam presentibus deduco, quod cum pridem pro parte providorum virorum magistri civium, consulum et iuratorum ac tocius comunitatis<sup>50</sup> Luthowie comunitatem<sup>51</sup> parrochianorum ecclesie sancti Marci Evangeliste ibidem, que usque huc sub iugo matris

---

<sup>39</sup> A1: *quas*

<sup>40</sup> A1: *dimmembracionem*

<sup>41</sup> A1: *Luthouia*

<sup>42</sup> A1: *dimmembracionem*

<sup>43</sup> A1: *ita*

<sup>44</sup> A1: *quod quocienscumque*

<sup>45</sup> A1: *Luthouia*

<sup>46</sup> A1: *vaccare*

<sup>47</sup> A1: *Luthouiensis*

<sup>48</sup> A1: *quadragesimo octavo*

<sup>49</sup> recte: *tenor*

<sup>50</sup> A2: *civitatis*

<sup>51</sup> A2: *communitatem*

veluti filia ecclesie parrochiali in Medlaw coniuncta<sup>52</sup> existat et per plebanum ipsius regi in spiritualibus et gubernari consuevit, mihi<sup>53</sup> tanquam<sup>54</sup> vero et legitimo et<sup>55</sup> confirmato plebano, ad quem de iure cura animarum eiusdem ecclesie pertinere dinoscitur, fuisse<sup>56</sup> cum instancia non modica supplicatum, quatenus ad dimembracionem<sup>57</sup> dictarum ecclesiarum et ut prefata ecclesia sancti Marci Ewangeliste in Luthowia proprio amplius gaudeat plebano, cui iidem proposuere sufficienter ad hoc providissent, velim consentire benigne et favorose. Ego vero prehabito iurisperitorum consilio ex certis causis animum meum moventibus principaliter et signanter<sup>58</sup> propter defectum sacerdotum et cleri, qui prochdolor istis temporibus<sup>59</sup> non possunt haberi, ex quorum defectu dicte ecclesie sancti Marci et ipsius parrochianis antecessores mei nec ego circa divina et<sup>60</sup> in obsequiis iuxta dispositionem primevam valuimus sufficere, quorum respectu diversa inter ipsos parrochianos, me et antecessores meos lis, disceptacio et discrepacio suborta est, quod vestram reverendissimam paternitatem et officiales vestros minime latet. Hiis sic, ut premittitur, pensatis, predictorum parrochianorum necnon et aliorum intercedencium peticionibus ad dimembracionem et divisionem dictarum ecclesiarum modo premisso duxi favorabiliter annuendum et consciendum et presentibus annuo et consencio. Ne tamen videatur filia<sup>61</sup> una cum suis parrochianis ausu<sup>62</sup> temerario seu proprie voluntatis spreto iugo servitutis ingrate a matrice sua discedere<sup>63</sup>, pretacti cives et parrochiani omnes et singuli dicte ecclesie sancti Marci Ewangeliste civitatis Luthowiensis<sup>64</sup> unam marcam annui census perpetui decreverunt pro ipso plebano ecclesie matrici<sup>65</sup> in Medlaw presenti et futuris suis successoribus pro recompensa servicii ipsius filie alias exhibiti dandam et assignandam<sup>66</sup> dari et assignari<sup>67</sup> perpetuis temporibus, prout in littera eadem marce<sup>68</sup> annui census per ipsos desuper confecta

---

<sup>52</sup> A2: *coniucta*

<sup>53</sup> A2: *michi*

<sup>54</sup> A2: *tamquam*

<sup>55</sup> A2 deest

<sup>56</sup> A2: *fuisset*

<sup>57</sup> A2: *dimmembracionem*

<sup>58</sup> A2: *singnanter*

<sup>59</sup> A2: *in temporibus*

<sup>60</sup> A2 deest

<sup>61</sup> A2: *filiam*

<sup>62</sup> A2: *auso*

<sup>63</sup> A2: *recedere*

<sup>64</sup> A2: *Luthowie*

<sup>65</sup> A2: *matrice*

<sup>66</sup> A2: *asingnandam*

<sup>67</sup> A2: *asingnari*

<sup>68</sup> A2: *marci*

clarior intuenti patebit. Datum in Noua Ciuitate alias Vniczow anno Domini M<sup>O</sup><sup>69</sup> CCCC<sup>O</sup><sup>70</sup> XLVIII<sup>71</sup> decima septima die mensis Augusti meo proprio pendenti sub<sup>72</sup> sigillo.

Nos igitur Paulus episcopus Olomucensis supradictus cultum predictum, quem invidus humani generis inimicus acrioribus iam invehens contra quietos fidelium animos insidiis perturbare ymmo diminuere nititur, intensis vigere desideriis affectantes dictorumque devotorum nostrorum dilectorum fidei et devocationis integritate, quam hactenus nobiscum inter tot insultus inconcussam erga sanctam matrem universalem ecclesiam gessere, huiuscemodique supplicacionibus utpote rationabilibus inclinati, et postquam per venerabilem et egregium dominum Bohassium de Zwola, decretorum doctorem, canonicum Olomucensem, vicarium in spiritualibus et curie episcopalnis nostre Olomucensis officialem, devotum sincere nobis dilectum, qui, uti cognovimus, super singulis premissis litteris oblatis et expositis visis et auditis ex speciali commissione nostra se informare sathagens proclamaciones et cridam super prenotatis inquisicionesque de redditibus et disposicione antedictis per idoneas ad hoc personas in loco beneficii fieri procuravit, prout eciam execucioni mature fuerant demandate, quia propositis memoratis veritas suffragetur, edocti fuimus, singulis eciam, que pensanda erant merito et ad progressum dimembracionis, divisionis, rescisionis illius ecclesie sancti Marci in Luthowia ab ecclesia Medlensi ac ad fundacionem, dotacionem et erectionem eiusdem sancti Marci ecclesie novam, iudicio nostro videbantur sufficere extimatis, auctoritate nostra ordinaria, qua fungimur, ipsam ecclesiam sancti Marci in Luthowia nostre diocesis sepe memoratam ab ecclesia in Medlaw, cuius olim filialis et hactenus extitit, in nomine Domini Dei Omnipotentis dimembramus, dividimus et rescindimus ac iugo filiationis exutam privilegiis et libertatibus matricis perpetuo in omnibus temporibus affuturis gaudere volumus, ipsam quoque eiusdem privilegiis et libertatibus matricis insignimus in ecclesiam parochialem matricem exigentes, eius insuper dotacionem, fundacionem et limitacionem de novo, ut premittitur, factam in singulis eius condicionibus, clausulis, punctis, articulis condependentibus et connexis ratificamus, auctorisamus et approbamus, dicto eciam censu decem et septem <sup>73</sup> marcarum, ut prefertur, in dotem eidem assignato, emolumentis, utilitatibus et obvencionibus universis sepedito<sup>74</sup> sancti Marci in Luthowia prius ab antiqua consuetudine condonatis et apropiatis semper salvis, sic ut ecclesiastice subiacet libertati, incorporamus et inviceramus, quodque per rectores eiusdem

<sup>69</sup> A2: *milesimo*

<sup>70</sup> A2: *quadrungentesimo*

<sup>71</sup> A2: *quadragesimo octavo*

<sup>72</sup> A2: *sub pendenti*

<sup>73</sup> fol. 20r

<sup>74</sup> recte: *sepeditae ecclesie*

ecclesie sancti Marci Luthowiensis legittimos per censuram ecclesiasticam, quociens opus fuerit, exigi valeat et requiri. In cuius rei perpetuam firmitatem et robur ac testimonium iuge presentes nostras litteras sigilli nostri maioris appensione statuimus communiri. Datum et actum Olomuntz anno Domini millesimo quadringentesimo octavo<sup>75</sup> die sedecima mensis Decembris.

---

<sup>75</sup> recte: *quadragesimo octavo*